

## Liber Josue

---

**Cap. 1** <sup>1</sup> Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei : <sup>2</sup> Moyses servus meus mortuus est : surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israël.

<sup>3</sup> Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. <sup>4</sup> A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. <sup>5</sup> Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ : sicut fui cum Moyse, ita ero tecum : non dimittam, nec derelinquam te. <sup>6</sup> Confortare, et esto robustus : tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis.

<sup>7</sup> Confortare igitur, et esto robustus valde, ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus : ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. <sup>8</sup> Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo : sed mediteris in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. <sup>9</sup> Ecce præcipio tibi : confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere : quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.

<sup>10</sup> Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite :

<sup>11</sup> Præparate vobis cibaria : quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis. <sup>12</sup> Rubenitis quoque et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse, ait :

<sup>13</sup> Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens : Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram. <sup>14</sup> Uxores vestræ, et filii, ac jumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem : vos autem transite armati ante fratres

vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis, <sup>15</sup> donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram quam Dominus Deus vester daturus est eis : et sic revertimini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum.

<sup>16</sup> Responderuntque ad Josue, atque dixerunt : Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus : et quocumque miseris, ibimus. <sup>17</sup> Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi : tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. <sup>18</sup> Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur. Tu tantum confortare, et viriliter age.

**Cap. 2** <sup>1</sup> Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito : et dixit eis : Ite, et considerate terram, urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. <sup>2</sup> Nuntiatumque est regi Jericho, et dictum : Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israël, ut explorarent terram. <sup>3</sup> Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens : Educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam : exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt. <sup>4</sup> Tollensque mulier viros, abscondit, et ait : Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent : <sup>5</sup> cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt ; nescio quo abierunt : persequimini cito, et comprehendetis eos. <sup>6</sup> Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat. <sup>7</sup> Hi autem, qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam, quæ ducit ad vadum Jordanis : illisque egressis statim porta clausa est.

<sup>8</sup> Necdum obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait : <sup>9</sup> Novi quod Dominus tradiderit vobis terram : etenim irruit in nos terror vester, et

elanguerunt omnes habitatores terræ. **10** Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto : et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon et Og, quos interfecistis. **11** Et hæc audientes pertinuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum : Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum et in terra deorsum. **12** Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei : detisque mihi verum signum, **13** ut salvetis patrem meum et matrem, et fratres ac sorores meas, et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras a morte. **14** Qui responderunt ei : Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos : cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem. **15** Demisit ergo eos per funem de fenestra : domus enim ejus hærebat muro. **16** Dixitque ad eos : Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes : ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram. **17** Qui dixerunt ad eam : Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos : **18** si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos : et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam. **19** Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit. **20** Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos. **21** Et illa respondit : Sicut locuti estis, ita fiat : dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.

**22** Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant

persecuti : quærentes enim per omnem viam, non reppererunt eos. <sup>23</sup> Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte : et, transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi, <sup>24</sup> atque dixerunt : Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

**Cap. 3** <sup>1</sup> Igitur Josue de nocte consurgens movit castra : egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israël, et morati sunt ibi tres dies. <sup>2</sup> Quibus evolutis transierunt præcones per castrorum medium, <sup>3</sup> et clamare cœperunt : Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini præcedentes : <sup>4</sup> sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium : ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini : quia prius non ambulastis per eam : et cavete ne appropinquetis ad arcam. <sup>5</sup> Dixitque Josue ad populum : Sanctificamini : cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. <sup>6</sup> Et ait ad sacerdotes : Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt, et ambulaverunt ante eos. <sup>7</sup> Dixitque Dominus ad Josue : Hodie incipiam exaltare te coram omni Israël : ut sciant quod sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim. <sup>8</sup> Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, et dic eis : Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea. <sup>9</sup> Dixitque Josue ad filios Israël : Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri. <sup>10</sup> Et rursum : In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum et Hethæum, Hevæum et Pherezæum, Gergesæum quoque et Jebusæum, et Amorrhæum. <sup>11</sup> Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedit vos per Jordanem. <sup>12</sup> Parate duodecim viros de tribubus Israël, singulos per singulas tribus. <sup>13</sup> Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ

in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient : quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent.

**14** Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem : et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. **15** Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat), **16** steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul, ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan : quæ autem inferiores erant, in mare Solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent. **17** Populus autem incedebat contra Jericho : et sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.

**Cap. 4** **1** Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue : **2** Elige duodecim viros singulos per singulas tribus : **3** et præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria. **4** Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israël, singulos de singulis tribubus, **5** et ait ad eos : Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israël, **6** ut sit signum inter vos : et quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes : Quid sibi volunt isti lapides ? **7** respondebitis eis : Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum : idcirco positi sunt lapides isti in monimentum filiorum Israël usque in æternum. **8** Fecerunt ergo filii Israël sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israël, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique

posuerunt eos. <sup>9</sup> Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis : et sunt ibi usque in præsentem diem.

<sup>10</sup> Sacerdotes autem qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, et dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, et transiit.

<sup>11</sup> Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum. <sup>12</sup> Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israël, sicut eis præceperat Moyses :

<sup>13</sup> et quadraginta pugnatorum millia per turmas, et cuneos, incedebant per plana atque campestria urbis Jericho. <sup>14</sup> In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israël, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret. <sup>15</sup> Dixitque ad eum : <sup>16</sup> Præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane. <sup>17</sup> Qui præcepit eis, dicens : Ascendite de Jordane. <sup>18</sup> Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant.

<sup>19</sup> Populus autem ascendit de Jordane decimo die mensis primi, et castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho. <sup>20</sup> Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis, <sup>21</sup> et dixit ad filios Israël : Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis : Quid sibi volunt lapides isti ? <sup>22</sup> docebitis eos, atque dicetis : Per arentem alveum transivit Israël Jordanem istum, <sup>23</sup> siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis, <sup>24</sup> sicut fecerat prius in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus : <sup>25</sup> ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

**Cap. 5** <sup>1</sup> Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israël donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israël.

<sup>2</sup> Eo tempore ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israël. <sup>3</sup> Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israël in colle præputiorum. <sup>4</sup> Hæc autem causa est secundæ circumcisionis : omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, <sup>5</sup> qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, <sup>6</sup> per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisi sunt : donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte et melle manantem. <sup>7</sup> Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue : quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. <sup>8</sup> Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur. <sup>9</sup> Dixitque Dominus ad Josue : Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem.

<sup>10</sup> Manseruntque filii Israël in Galgalis, et fecerunt Phase quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Jericho : <sup>11</sup> et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, et polentam ejusdem anni. <sup>12</sup> Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israël, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.

<sup>13</sup> Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatam

tenentem gladium : perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum ? **14** Qui respondit : Nequaquam : sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. **15** Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait : Quid dominus meus loquitur ad servum suum ? **16** Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

**Cap. 6** **1** Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israël, et nullus egredi audebat aut ingredi. **2** Dixitque Dominus ad Josue : Ecce dedi in manu tua Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros. **3** Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem : sic facietis sex diebus. **4** Septimo autem die, sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis : septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. **5** Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. **6** Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos : Tollite arcam fœderis : et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini. **7** Ad populum quoque ait : Ite, et circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini.

**8** Cumque Josue verba finisset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, **9** omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. **10** Præceperat autem Josue populo, dicens : Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat dies in quo dicam vobis : Clamate, et vociferamini. **11** Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra mansit ibi. **12** Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini, **13** et septem ex eis



septem buccinas, quarum in jubilæo usus est : præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes : et armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis personabat. **14** Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus.

**15** Dies autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies. **16** Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israël : Vociferamini : tradidit enim vobis Dominus civitatem. **17** Sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino : sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt : abscondit enim nuntios quos direximus. **18** Vos autem cavete ne de his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israël sub peccato sint atque turbentur. **19** Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus. **20** Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt : et ascendit unusquisque per locum qui contra se erat : ceperuntque civitatem, **21** et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt.

**22** Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue : Ingedimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis. **23** Ingressique juvenes eduxerunt Rahab, et parentes ejus, fratres quoque, et cunctam supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israël manere fecerunt. **24** Urbem autem, et omnia quæ erant in ea, succenderunt, absque auro et argento, et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt. **25** Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ

habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israëli, usque in præsentem diem : eo quod absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo, imprecatus est Josue, dicens : **26** Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciatur, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. **27** Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terra.

**Cap. 7** **1** Filii autem Israëli prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi filii Zabdi filii Zare de tribu Juda tulit aliquid de anathemate : iratusque est Dominus contra filios Israëli. **2** Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis : Ascendite, et explorete terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai. **3** Et reversi dixerunt ei : Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, et deleant civitatem : quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos ? **4** Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes, **5** percussi sunt a viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines : persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes : pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est.

**6** Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israëli : miseruntque pulverem super capita sua, **7** et dixit Josue : Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes ? utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem. **8** Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israëlem hostibus suis terga vertentem ? **9** Audient Chananæi, et omnes habitatores terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque

delebunt nomen nostrum de terra : et quid facies magno nomini tuo ?

**10** Dixitque Dominus ad Josue : Surge : cur jaces pronus in terra ? **11** Peccavit Israël, et prævaricatus est pactum meum : tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua. **12** Nec poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet : quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. **13** Surge, sanctifica populum, et dic eis : Sanctificamini in crastinum : hæc enim dicit Dominus Deus Israël : Anathema in medio tui est, Israël : non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.

**14** Accedetisque mane singuli per tribus vestras : et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros. **15** Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua : quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israël.

**16** Surgens itaque Josue mane, applicuit Israël per tribus suas, et inventa est tribus Juda. **17** Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi : **18** cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi filii Zabdi filii Zare de tribu Juda. **19** Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. **20** Responditque Achan Josue, et dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israël, et sic et sic feci. **21** Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum : et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. **22** Misit ergo Josue ministros : qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, et

argentum simul. <sup>23</sup> Auferentesque de tentorio, tulerunt ea ad Josue, et ad omnes filios Israël, projeceruntque ante Dominum. <sup>24</sup> Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium, et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem (et omnis Israël cum eo), duxerunt eos ad vallem Achor : <sup>25</sup> ubi dixit Josue : Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israël : et cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt. <sup>26</sup> Congregaveruntque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, vallis Achor, usque hodie.

**Cap. 8** <sup>1</sup> Dixit autem Dominus ad Josue : Ne timeas, neque formides : tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens ascende in oppidum Hai. Ecce tradidi in manu tua regem ejus et populum, urbemque et terram. <sup>2</sup> Faciesque urbi Hai, et regi ejus, sicut fecisti Jericho, et regi illius : prædam vero, et omnia animantia diripietis vobis : pone insidias urbi post eam.

<sup>3</sup> Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai : et electa triginta millia virorum fortium misit nocte, <sup>4</sup> præcepitque eis, dicens : Ponite insidias post civitatem, nec longius recedatis : et eritis omnes parati. <sup>5</sup> Ego autem, et reliqua multitudo, quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, et terga vertemus, <sup>6</sup> donec persequentes ab urbe longius protrahantur : putabunt enim nos fugere sicut prius.

<sup>7</sup> Nobis ergo fugientibus, et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem : tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. <sup>8</sup> Cumque ceperitis, succendite eam, et sic omnia facietis, ut jussi.

<sup>9</sup> Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel et Hai, ad occidentalem plagam

urbis Hai : Josue autem nocte illa in medio mansit populi, **10** surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. **11** Cumque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media. **12** Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai ex occidentali parte ejusdem civitatis : **13** omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio.

**14** Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ. **15** Josue vero et omnis Israël cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam. **16** At illi vociferantes pariter, et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate, **17** et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset qui non persequeretur Israël (sicut eruperant aperta oppida relinquentes), **18** dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. **19** Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim : et pergentes ad civitatem, ceperunt, et succenderunt eam. **20** Viri autem civitatis, qui persequabantur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad cælum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere : præsertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent. **21** Vidensque Josue et omnis Israël quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai. **22** Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta

multitudine salvaretur, <sup>23</sup> regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue.

<sup>24</sup> Igitur omnibus interfectis, qui Israëlem ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israël percusserunt civitatem.

<sup>25</sup> Erant autem qui in eodem die conciderant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai.

<sup>26</sup> Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai. <sup>27</sup> Jumenta autem et prædam civitatis diviserunt sibi filii Israël, sicut præceperat Dominus Josue. <sup>28</sup> Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum : <sup>29</sup> regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam et solis occasum. Præcepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce : projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem.

<sup>30</sup> Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israël in monte Hebal, <sup>31</sup> sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israël, et scriptum est in volumine legis Moysi : altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit : et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas. <sup>32</sup> Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israël. <sup>33</sup> Omnis autem populus, et majores natu, ducesque ac judices, stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena, ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israël. <sup>34</sup> Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine. <sup>35</sup> Nihil ex his quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israël, mulieribus ac parvulis, et advenis qui inter eos morabantur.

**Cap. 9** <sup>1</sup> Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus, et Jebusæus, <sup>2</sup> congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israël uno animo, eademque sententia.

<sup>3</sup> At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho, et Hai, <sup>4</sup> et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos, <sup>5</sup> calceamenta que perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis : panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frustra comminuti : <sup>6</sup> perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque simul omni Israël : De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israël ad eos, atque dixerunt : <sup>7</sup> Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum. <sup>8</sup> At illi ad Josue : Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait : Quinam estis vos ? et unde venistis ? <sup>9</sup> Responderunt : De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto, <sup>10</sup> et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan, qui erat in Astaroth : <sup>11</sup> dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terræ nostræ : Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite : Servi vestri sumus : fœdus inite nobiscum. <sup>12</sup> En panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus ; nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti. <sup>13</sup> Utres vini novos implevimus ; nunc rupti sunt et soluti. Vestes et calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, et pene consumpta. <sup>14</sup> Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os

**Domini non interrogaverunt. <sup>15</sup> Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur : principes quoque multitudinis juraverunt eis.**

**<sup>16</sup> Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent.**

**<sup>17</sup> Moveruntque castra filii Israël, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt : Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim. <sup>18</sup> Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israël. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. <sup>19</sup> Qui responderunt eis : Juravimus illis in nomine Domini Dei Israël, et idcirco non possumus eos contingere. <sup>20</sup> Sed hoc faciemus eis : reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus : <sup>21</sup> sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus, <sup>22</sup> vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis : Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis : Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis ?**

**<sup>23</sup> itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. <sup>24</sup> Qui responderunt : Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus. <sup>25</sup> Nunc autem in manu tua sumus : quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis. <sup>26</sup> Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israël, ut non occiderentur. <sup>27</sup> Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cædentes ligna, et aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegerat.**

**Cap. 10 <sup>1</sup> Quæ cum audisset Adonisedec rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, et**



subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho et regi ejus, sic fecit Hai et regi illius), et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israël, et essent fœderati eorum, **2** timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, et major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi. **3** Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon, dicens : **4** Ad me ascendite, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, et ad filios Israël. **5** Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum : rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis : et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam.

**6** Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei : Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum : ascende cito, et libera nos, ferque præsidium : convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. **7** Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi. **8** Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos : in manus enim tuas tradidi illos : nullus ex eis tibi resistere poterit. **9** Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis. **10** Et conturbavit eos Dominus a facie Israël : contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Bethoron, et percussit usque Azeca et Maceda. **11** Cumque fugerent filios Israël, et essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Azeca : et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israël. **12** Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixitque coram eis :

**Sol, contra Gabaon ne movearis,  
et luna contra vallem Ajalon.**

**13 Steteruntque sol et luna,**

**donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.**

**Nonne scriptum est hoc in libro justorum ? Stetit itaque sol in medio cæli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. 14 Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediante Domino voci hominis, et pugnante pro Israël.**

**15 Reversusque est Josue cum omni Israël in castra Galgalæ.**

**16 Fugerant enim quinque reges et se absconderant in spelunca urbis Maceda. 17 Nuntiatumque est Josue quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda. 18 Qui præcepit sociis, et ait : Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant : 19 vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite : nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras.**

**20 Cæsis ergo adversariis plaga magna, et usque ad interneccionem pene consumptis, hi qui Israël effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas. 21 Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integro numero : nullusque contra filios Israël mutire ausus est. 22 Præcepitque Josue, dicens : Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque reges, qui in ea latitant. 23 Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum : et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon. 24 Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israël, et ait ad principes exercitus qui secum erant : Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum colla pedibus calcarent, 25 rursum ait ad eos : Nolite timere, nec paveatis : confortamini, et estote robusti : sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis. 26 Percussitque Josue, et**

interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites : fueruntque suspensi usque ad vesperum. **27** Cumque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam in qua latuerant, et posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens.

**28** Eodem quoque die, Macedam cepit Josue, et percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, et omnes habitatores ejus : non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda sicut fecerat regi Jericho.

**29** Transivit autem cum omni Israël de Maceda in Lebna, et pugnabat contra eam : **30** quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israël : percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores ejus : non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna sicut fecerant regi Jericho. **31** De Lebna transivit in Lachis cum omni Israël : et exercitu per gyrum disposito, oppugnabat eam.

**32** Tradiditque Dominus Lachis in manus Israël, et cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna. **33** Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis : quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad interneccionem. **34** Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit, **35** atque expugnavit eam eadem die : percussitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, juxta omnia quæ fecerat Lachis. **36** Ascendit quoque cum omni Israël de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam : **37** cepit eam, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quæ in ea fuerant commoratae : non reliquit in ea ullas reliquias : sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio. **38** Inde reversus in Dabir, **39** cepit eam atque vastavit : regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii : non dimisit in ea ullas reliquias : sicut fecerat Hebron et Lebna et regibus earum, sic fecit Dabir et regi illius.

**40** Percussit itaque Josue omnem terram montanam et

meridianam atque campestem, et Asedoth, cum regibus suis : non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israël, <sup>41</sup> a Cadesbarne usque Gazam. Omnem terram Gosen usque Gabaon, <sup>42</sup> universosque reges, et regiones eorum uno impetu cepit atque vastavit : Dominus enim Deus Israël pugnavit pro eo. <sup>43</sup> Reversusque est cum omni Israël ad locum castrorum in Galgala.

**Cap. 11** <sup>1</sup> Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph : <sup>2</sup> ad reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis et in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor juxta mare : <sup>3</sup> Chananæum quoque ab oriente et occidente, et Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæum et Jebusæum in montanis : Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha.

<sup>4</sup> Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque et currus immensæ multitudinis. <sup>5</sup> Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israël.

<sup>6</sup> Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos : cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël : equos eorum subnervabis, et currus igne combures. <sup>7</sup> Venitque Josue, et omnis exercitus cum eo, adversus illos ad aquas Merom subito, et irruerunt super eos, <sup>8</sup> tradiditque illos Dominus in manus Israël. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et aquas Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias : <sup>9</sup> fecitque sicut præceperat ei Dominus : equos eorum subnervavit, currusque combussit igni. <sup>10</sup> Reversusque statim cepit Asor, et regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.

**11** Percussitque omnes animas quæ ibidem morabantur : non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad interneccionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio. **12** Et omnes per circuitum civitates, regesque earum, cepit, percussit atque delevit, sicut præceperat ei Moyses famulus Domini. **13** Absque urbibus, quæ erant in collibus et in tumulis sitæ, ceteras succendit Israël : unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit. **14** Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israël, cunctis hominibus interfectis. **15** Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, et ille universa complevit : non præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserat Dominus Moysi. **16** Cepit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et occidentalem plagam, montemque Israël, et campestra ejus, **17** et partem montis, quæ ascendit Seir usque Baalgad, per planitiem Libani subter montem Hermon : omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit. **18** Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. **19** Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon : omnes enim bellando cepit. **20** Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israël, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. **21** In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim de montanis, Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda et Israël, urbesque eorum delevit. **22** Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in terra filiorum Israël : absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relictis sunt. **23** Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, et tradidit eam in possessionem filiis Israël secundum partes et tribus suas : quievitque terra a præliis.

**Cap. 12** **1** Hi sunt reges, quos percusserunt filii Israël, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis

ortum, a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem orientalem plagam, quæ respicit solitudinem. **2** Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, et mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon. **3** Et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra orientem, et usque ad mare deserti, quod est mare salsissimum, ad orientalem plagam per viam quæ ducit Bethsimoth : et ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, Phasga. **4** Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos **5** Gessuri, et Machati, et dimidiæ partis Galaad : terminos Sehon regis Hesebon. **6** Moyses famulus Domini et filii Israël percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse. **7** Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue et filii Israël trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, usque ad montem cujus pars ascendit in Seir : tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israël, singulis partes suas, **8** tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et in solitudine, ac in meridie, Hethæus fuit et Amorrhæus, Chananæus, et Pherezæus, Hevæus et Jebusæus. **9** Rex Jericho unus : rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus : **10** rex Jerusalem unus, rex Hebron unus, **11** rex Jerimoth unus, rex Lachis unus, **12** rex Eglon unus, rex Gazer unus, **13** rex Dabir unus, rex Gader unus, **14** rex Herma unus, rex Hered unus, **15** rex Lebna unus, rex Odullam unus, **16** rex Maceda unus, rex Bethel unus, **17** rex Taphua unus, rex Opher unus, **18** rex Aphec unus, rex Saron unus, **19** rex Madon unus, rex Asor unus, **20** rex Semeron unus, rex Achsaph unus, **21** rex Thenac unus, rex Mageddo unus, **22** rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus, **23** rex Dor et provinciæ Dor unus, rex gentium Galgal unus, **24** rex Thersa unus : omnes reges triginta unus.

**Cap. 13** <sup>1</sup> Josue senex propectæque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum : Senuisti, et longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est : <sup>2</sup> omnis videlicet Galilæa, Philisthiim, et universa Gessuri. <sup>3</sup> A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra aquilonem : terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, et Azotios, Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas. <sup>4</sup> Ad meridiem vero sunt Hevæi, omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum, usque Apheca et terminos Amorrhæi, <sup>5</sup> ejusque confinia. Libani quoque regio contra orientem, a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath ; <sup>6</sup> omnium qui habitant in monte a Libano usque ad aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israël. Veniat ergo in partem hæreditatis Israël, sicut præcepi tibi. <sup>7</sup> Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse, <sup>8</sup> cum qua Ruben et Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluentia Jordanis, ad orientalem plagam. <sup>9</sup> Ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, universaque campestris Medaba, usque Dibon, <sup>10</sup> et cunctas civitates Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammon, <sup>11</sup> et Galaad, ac terminum Gessuri et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan, usque ad Salecha, <sup>12</sup> omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth et Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim : percussitque eos Moyses, atque delevit. <sup>13</sup> Nolueruntque disperdere filii Israël Gessuri et Machati : et habitaverunt in medio Israël usque in præsentem diem. <sup>14</sup> Tribui autem Levi non dedit possessionem : sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israël, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi.

<sup>15</sup> Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas. <sup>16</sup> Fuitque terminus eorum ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem torrentis media : universam planitiem, quæ ducit

Medaba, <sup>17</sup> et Hesebon, cunctosque viculos earum, qui sunt in campestribus : Dibon quoque et Bamothbaal, et oppidum Baalmaon, <sup>18</sup> et Jassa, et Cedimoth, et Mephaath, <sup>19</sup> et Cariathaim, et Sabama, et Sarathasar in monte convallis. <sup>20</sup> Bethphogor et Asedoth, Phasga et Bethiesimoth, <sup>21</sup> et omnes urbes campestris, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, quem percussit Moyses cum principibus Madian : Hevæum, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe duces Sehon habitatores terræ. <sup>22</sup> Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israël gladio cum ceteris interfectis. <sup>23</sup> Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium et viculorum.

<sup>24</sup> Deditque Moyses tribui Gad et filiis ejus per cognationes suas possessionem, cujus hæc divisio est. <sup>25</sup> Terminus Jaser, et omnes civitates Galaad, et dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroër, quæ est contra Rabba, <sup>26</sup> et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe et Betonim : et a Manaim usque ad terminos Dabir. <sup>27</sup> In valle quoque Betharan, et Bethnemra, et Socoth, et Saphon reliquam partem regni Sehon regis Hesebon : hujus quoque finis, Jordanis est, usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad orientalem plagam. <sup>28</sup> Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et villæ earum.

<sup>29</sup> Dedit et dimidiæ tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas, possessionem, <sup>30</sup> cujus hoc principium est : a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida : <sup>31</sup> et dimidiam partem Galaad, et Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan : filiis Machir, filii Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas. <sup>32</sup> Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam. <sup>33</sup> Tribui autem Levi non dedit



**possessionem : quoniam Dominus Deus Israël ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.**

**Cap. 14 <sup>1</sup> Hoc est quod possederunt filii Israël in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Israël : <sup>2</sup> sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem tribubus, et dimidiæ tribui. <sup>3</sup> Duabus enim tribubus, et dimidiæ, dederat Moyses trans Jordanem possessionem : absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos : <sup>4</sup> sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim : nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua. <sup>5</sup> Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israël, et diviserunt terram.**

**<sup>6</sup> Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezæus : Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne. <sup>7</sup> Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. <sup>8</sup> Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi : et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. <sup>9</sup> Juravitque Moyses in die illo, dicens : Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum : quia secutus es Dominum Deum meum. <sup>10</sup> Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, usque in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israël per solitudinem : hodie octoginta quinque annorum sum, <sup>11</sup> sic valens ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum : illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum. <sup>12</sup> Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est**

**Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, et urbes magnæ atque munitæ : si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi. <sup>13</sup> Benedixitque ei Josue, et tradidit ei Hebron in possessionem : <sup>14</sup> atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem, quia secutus est Dominum Deum Israël. <sup>15</sup> Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe : Adam maximus ibi inter Enacim situs est : et terra cessavit a præliis.**

**Cap. 15 <sup>1</sup> Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit : a termino Edom, desertum Sin, contra meridiem, et usque ad extremam partem australis plagæ. <sup>2</sup> Initium ejus a summitate maris salsissimi, et a lingua ejus, quæ respicit meridiem. <sup>3</sup> Egrediturque contra ascensum Scorpionis, et pertransit in Sina : ascenditque in Cadesbarne, et pervenit in Esron, ascendens ad Addar, et circuiens Carcaa, <sup>4</sup> atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti : eruntque termini ejus mare magnum. Hic erit finis meridianæ plagæ. <sup>5</sup> Ab oriente vero erit initium, mare salsissimum usque ad extrema Jordanis : et ea quæ respiciunt ad aquilonem, a lingua maris usque ad eundem Jordanis fluvium. <sup>6</sup> Ascenditque terminus in Beth Hagla, et transit ab aquilone in Beth Araba, ascendens ad lapidem Boën filii Ruben : <sup>7</sup> et tendens usque ad terminos Debera de valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis : transitque aquas, quæ vocantur fons solis : et erunt exitus ejus ad fontem Rogel. <sup>8</sup> Ascenditque per convallem filii Ennom ex latere Jebusæi ad meridiem, hæc est Jerusalem : et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem : <sup>9</sup> pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephtoa : et pervenit usque ad vicos montis Ephron : inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, urbs silvarum. <sup>10</sup> Et circuit de Baala contra occidentem, usque**

ad montem Seir : transitque juxta latus montis Jarim ad aquilonem in Cheslon : et descendit in Bethsames, transitque in Thamna. <sup>11</sup> Et pervenit contra aquilonem partis Accaron ex latere : inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala : pervenitque in Jebneel, et magni maris contra occidentem fine concluditur. <sup>12</sup> Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis.

<sup>13</sup> Caleb vero filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus : Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. <sup>14</sup> Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai et Ahiman et Tholmai de stirpe Enac. <sup>15</sup> Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. <sup>16</sup> Dixitque Caleb : Qui percusserit Cariath Sepher, et ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. <sup>17</sup> Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior : deditque ei Axam filiam suam uxorem. <sup>18</sup> Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum. Suspiravitque ut sedebat in asino : cui Caleb : Quid habes ? inquit. <sup>19</sup> At illa respondit : Da mihi benedictionem : terram australem et arentem dedisti mihi ; junge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et inferius.

<sup>20</sup> Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas. <sup>21</sup> Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom a meridie : Cabseel et Eder et Jagur, <sup>22</sup> et Cyna et Dimona et Adada, <sup>23</sup> et Cades et Asor et Jethnam, <sup>24</sup> Ziph et Telem et Baloth, <sup>25</sup> Asor nova et Carioth, Hesron, hæc est Asor ; <sup>26</sup> Amam, Sama, et Molada, <sup>27</sup> et Asergadda et Hassemon et Bethphelet, <sup>28</sup> et Hasersual et Bersabee et Baziothia, <sup>29</sup> et Baala et Jim et Esem, <sup>30</sup> et Eltholad et Cesil et Harma, <sup>31</sup> et Siceleg et Medemena et Sensenna, <sup>32</sup> Lebaoth et Selim et Aën et Remon. Omnes civitates viginti novem, et villæ earum. <sup>33</sup> In campestribus vero : Estaol et Sarea et Asena, <sup>34</sup> et Zanoë et Ængannim et Taphua et Enaim, <sup>35</sup> et Jerimoth et

Adullam, Socho et Azeca, <sup>36</sup> et Saraim et Adithaim et Gedera et Gederothaim : urbes quatuordecim, et villæ earum. <sup>37</sup> Sanan et Hadassa et Magdalgad, <sup>38</sup> Delean et Masepha et Jecthel, <sup>39</sup> Lachis et Bascath et Eglon, <sup>40</sup> Chebbon et Leheman et Cethlis, <sup>41</sup> et Gideroth et Bethdagon et Naama et Maceda : civitates sedecim, et villæ earum. <sup>42</sup> Labana et Ether et Asan, <sup>43</sup> Jephtha et Esna et Nesib, <sup>44</sup> et Ceila et Achzib et Maresa : civitates novem, et villæ earum. <sup>45</sup> Accaron cum vicis et villulis suis. <sup>46</sup> Ab Accaron usque ad mare : omnia quæ vergunt ad Azotum et viculos ejus. <sup>47</sup> Azotus cum vicis et villulis suis. Gaza cum vicis et villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, et mare magnum terminus ejus. <sup>48</sup> Et in monte : Samir et Jether et Socoth <sup>49</sup> et Danna et Cariathsenna, hæc est Dabir : <sup>50</sup> Anab et Istemo et Anim, <sup>51</sup> Gosen et Olon et Gilo : civitates undecim et villæ earum. <sup>52</sup> Arab et Ruma et Esaan, <sup>53</sup> et Janum et Beththaphua et Apheca, <sup>54</sup> Athmatha, et Cariath Arbe, hæc est Hebron, et Sior : civitates novem, et villæ earum. <sup>55</sup> Maon et Carmel et Ziph et Jota, <sup>56</sup> Jezraël et Jucadam et Zanoë, <sup>57</sup> Accain, Gabaa et Thamna : civitates decem et villæ earum. <sup>58</sup> Halhul, et Besur, et Gedor, <sup>59</sup> Mareth, et Bethanoth, et Eltecon : civitates sex et villæ earum. <sup>60</sup> Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, et Arebba : civitates duæ, et villæ earum. <sup>61</sup> In deserto Betharaba, Meddin, et Sachacha, <sup>62</sup> et Nebsan, et civitas salis, et Engaddi : civitates sex, et villæ earum. <sup>63</sup> Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere : habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.

**Cap. 16** <sup>1</sup> Cecidit quoque sors filiorum Joseph ab Jordane contra Jericho et aquas ejus ab oriente : solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel : <sup>2</sup> et egreditur de Bethel Luza : transitque terminum Archi, Ataroth : <sup>3</sup> et descendit ad occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Beth-horon inferioris, et Gazer : finiunturque regiones ejus mari magno :

**4** possederuntque filii Joseph, Manasses et Ephraim.

**5** Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas : et possessio eorum contra orientem Ataroth Addar usque Beth-horon superiorem. **6** Egrediunturque confinia in mare : Machmethath vero aquilonem respicit, et circuit terminos contra orientem in Thanathselo : et pertransit ab oriente Janoë. **7** Descenditque de Janoë in Ataroth et Naaratha : et pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem. **8** De Taphua pertransit contra mare in vallem arundineti, suntque egressus ejus in mare salsissimum. Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas. **9** Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villæ earum. **10** Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer : habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

**Cap. 17** **1** Cecidit autem sors tribui Manasse (ipse enim est primogenitus Joseph) : Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad et Basan : **2** et reliquis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Hepher, et filiis Semida. Isti sunt filii Manasse filii Joseph, mares, per cognationes suas.

**3** Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manasse non erant filii, sed solæ filiæ : quarum ista sunt nomina : Maala et Noa et Hegla et Melcha et Thersa.

**4** Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Josue filii Nun, et principum, dicentes : Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum. **5** Et ceciderunt funiculi Manasse, decem, absque terra Galaad et Basan trans Jordanem. **6** Filiæ enim Manasse possederunt hæreditatem in medio filiorum ejus. Terra

autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant. **7** Fuitque terminus Manasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem : et egreditur ad dexteram juxta habitatores fontis Taphuæ. **8** Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim. **9** Descenditque terminus vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse : terminus Manasse ab aquilone torrentis, et exitus ejus pergit ad mare : **10** ita ut possessio Ephraim sit ab austro, et ab aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et jungantur sibi in tribu Aser ab aquilone, et in tribu Issachar ab oriente. **11** Fuitque hæreditas Manasse in Issachar et in Aser, Bethsan et viculi ejus, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis : similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nopheth. **12** Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. **13** Postquam autem convaluerunt filii Israël, subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.

**14** Locutique sunt filii Joseph ad Josue, et dixerunt : Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus ? **15** Ad quos Josue ait : Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim : quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. **16** Cui responderunt filii Joseph : Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, et Jezraël mediam possidens vallem. **17** Dixitque Josue ad domum Joseph, Ephraim et Manasse : Populus multus es, et magnæ fortitudinis : non habebis sortem unam, **18** sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia : et

**poteris ultra procedere cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum.**

**Cap. 18** <sup>1</sup> **Congregatique sunt omnes filii Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis terra subjecta.** <sup>2</sup> **Remanserant autem filiorum Israël septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.** <sup>3</sup> **Ad quos Josue ait : Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis ?** <sup>4</sup> **Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et pergant atque circumeant terram, et describant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis : referantque ad me quod descriperint.** <sup>5</sup> **Dividite vobis terram in septem partes : Judas sit in terminis suis ab australi plaga, et domus Joseph ab aquilone.** <sup>6</sup> **Mediam inter hos terram in septem partes describite : et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem : <sup>7</sup> quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus Domini.** <sup>8</sup> **Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Josue, dicens : Circuite terram, et describite eam, ac revertimini ad me : ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem.** <sup>9</sup> **Itaque perrexerunt : et lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo.** <sup>10</sup> **Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israël in septem partes.**

<sup>11</sup> **Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent terram inter filios Juda et filios Joseph.** <sup>12</sup> **Fuitque terminus eorum contra aquilonem a Jordane : pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ, et inde contra occidentem ad montana conscendens et perveniens ad solitudinem Bethaven,** <sup>13</sup> **atque pertransiens juxta Luzam ad meridiem, ipsa est**

Bethel : descenditque in Ataroth Addar, in montem qui est ad meridiem Beth-horon inferioris : **14** et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis qui respicit Beth-horon contra Africum : suntque exitus ejus in Cariath-baal, quæ vocatur et Cariathiarim, urbem filiorum Juda. Hæc est plaga contra mare, ad occidentem. **15** A meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa. **16** Descenditque in partem montis, qui respicit vallem filiorum Ennom : et est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Descenditque in Geennom (id est, vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad austrum : et pervenit ad fontem Rogel, **17** transiens ad aquilonem, et egrediens ad Ensemes, id est, fontem solis : **18** et pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione ascensus Adommim : descenditque ad Abenboën, id est, lapidem Boën filii Ruben : et pertransit ex latere aquilonis ad campestria : descenditque in planitiem, **19** et prætergreditur contra aquilonem Beth Hagla : suntque exitus ejus contra linguam maris salsissimi ab aquilone in fine Jordanis ad australem plagam : **20** qui est terminus illius ab oriente. Hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, et familias suas.

**21** Fueruntque civitates ejus, Jericho et Beth Hagla et vallis Casis, **22** Beth Araba et Samaraim et Bethel **23** et Avim et Aphara et Ophera, **24** villa Emona et Ophni et Gabee : civitates duodecim, et villæ earum. **25** Gabaon et Rama et Beroth, **26** et Mesphe et Caphara, et Amosa **27** et Recem, Jarephel et Tharela, **28** et Sela, Eleph, et Jebus, quæ est Jerusalem, Gabaath et Cariath : civitates quatuordecim, et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

**Cap. 19** **1** Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas : fuitque hæreditas **2** eorum in medio possessionis filiorum Juda : Bersabee et Sabee et Molada **3** et Hasersual, Bala et Asem **4** et Eltholad,



Bethul et Harma <sup>5</sup> et Siceleg et Bethmarchaboth et Hasersusa <sup>6</sup> et Bethlebaoth et Sarohen : civitates tredecim, et villæ earum. <sup>7</sup> Ain et Remmon et Athar et Asan : civitates quatuor, et villæ earum : <sup>8</sup> omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath Beer Ramath contra australem plagam. Hæc est hæreditas filiorum Simeon juxta cognationes suas, <sup>9</sup> in possessione et funiculo filiorum Juda : quia major erat, et idcirco filii Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum.

<sup>10</sup> Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas : factus est terminus possessionis eorum usque Sarid.

<sup>11</sup> Ascenditque de mari et Merala, et pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Jeconam.

<sup>12</sup> Et revertitur de Sared contra orientem in fines Ceseleththabor : et egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Japhie. <sup>13</sup> Et inde pertransit usque ad orientalem plagam Gethepher et Thacasin : et egreditur in Remmon, Amthar et Noa. <sup>14</sup> Et circuit ad aquilonem Hanathon : suntque egressus ejus vallis Jephthaël, <sup>15</sup> et Cateth et Naalol et Semeron et Jerala et Bethlehem : civitates duodecim, et villæ earum. <sup>16</sup> Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes et viculi earum.

<sup>17</sup> Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas :

<sup>18</sup> fuitque ejus hæreditas Jezraël et Casaloth et Sunem

<sup>19</sup> et Hapharaim et Seon, et Anaharath <sup>20</sup> et Rabboth et Cesion, Abes, <sup>21</sup> et Rameth, et Engannim, et Enhadda et Bethpheses. <sup>22</sup> Et pervenit terminus ejus usque Thabor et Sehesima et Bethsames, eruntque exitus ejus Jordanis : civitates sedecim, et villæ earum. <sup>23</sup> Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi earum.

<sup>24</sup> Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas : <sup>25</sup> fuitque terminus eorum Halcath et Chali et Beten et Axaph <sup>26</sup> et Elmelech et Amaad et

Messal : et pervenit usque ad Carmelum maris et Sihor et Labanath, <sup>27</sup> ac revertitur contra orientem Bethdagon : et pertransit usque Zabulon et vallem Jephthaël contra aquilonem in Bethemec et Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul, <sup>28</sup> et Abran et Rohob et Hamon et Cana, usque ad Sidonem magnam. <sup>29</sup> Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, et usque Hosa : eruntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba : <sup>30</sup> et Amma et Aphec et Rohob : civitates viginti duæ, et villæ earum. <sup>31</sup> Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque et viculi earum.

<sup>32</sup> Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas : <sup>33</sup> et cœpit terminus de Heleph et Elon in Saanim, et Adami, quæ est Neceb, et Jebnaël usque Lecum : et egressus eorum usque ad Jordanem : <sup>34</sup> revertiturque terminus contra occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra meridiem, et in Aser contra occidentem, et in Juda ad Jordanem contra ortum solis : <sup>35</sup> civitates munitissimæ, Assedim, Ser, et Emath, et Reccath et Cenereth, <sup>36</sup> et Edema et Arama, Asor <sup>37</sup> et Cedes et Edrai, Enhazor, <sup>38</sup> et Jeron et Magdalel, Horem et Bethanath et Bethsames : civitates decem et novem, et villæ earum. <sup>39</sup> Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes et viculi earum.

<sup>40</sup> Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima : <sup>41</sup> et fuit terminus possessionis ejus Sara et Esthaol, et Hirsemes, id est, civitas solis. <sup>42</sup> Selebin et Ajalon et Jethela, <sup>43</sup> Elon et Themna et Acron, <sup>44</sup> Elthece, Gebbethon et Balaath, <sup>45</sup> et Jud et Bane et Barach et Gethremmon : <sup>46</sup> et Mejarcon et Arecon, cum termino qui respicit Joppen, <sup>47</sup> et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam : et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui. <sup>48</sup> Hæc est

possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes et viculi earum.

**49** Cumque complexet sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israël possessionem Josue filio Nun in medio sui, **50** juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit Thamnath Saraa in monte Ephraim : et ædificavit civitatem, habitavitque in ea. **51** Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum filiorum Israël in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii : partitique sunt terram.

**Cap. 20** **1** Et locutus est Dominus ad Josue, dicens : Loquere filiis Israël, et dic eis : **2** Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi : **3** ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius, et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis : **4** cum ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem : sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum. **5** Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus : quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum triduumve ejus probatur inimicus. **6** Et habitabit in civitate illa, donec stet ante judicium, causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore : tunc revertetur homicida, et ingrediatur civitatem et domum suam de qua fugerat. **7** Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte Juda. **8** Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse. **9** Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israël, et advenis qui habitabant inter eos, ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, et non

moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

**Cap. 21** <sup>1</sup> Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israël : <sup>2</sup> locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt : Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta. <sup>3</sup> Dederuntque filii Israël de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum. <sup>4</sup> Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis, de tribubus Juda, et Simeon, et Benjamin, civitates tredecim : <sup>5</sup> et reliquis filiorum Caath, id est Levitis, qui superfuerant, de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse, civitates decem. <sup>6</sup> Porro filii Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim. <sup>7</sup> Et filiis Merari per cognationes suas de tribubus Ruben et Gad et Zabulon urbes duodecim. <sup>8</sup> Dederuntque filii Israël Levitis civitates et suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes. <sup>9</sup> De tribubus filiorum Juda et Simeon dedit Josue civitates, quarum ista sunt nomina, <sup>10</sup> filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est), <sup>11</sup> Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum. <sup>12</sup> Agros vero et villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. <sup>13</sup> Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac suburbana ejus : et Lobnam cum suburbanis suis : <sup>14</sup> et Jether, et Esthemo, <sup>15</sup> et Holon, et Dabir, <sup>16</sup> et Ain, et Jeta, et Bethsames, cum suburbanis suis : civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus. <sup>17</sup> De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon, et Gabæ, <sup>18</sup> et Anathoth et Almon, cum suburbanis suis : civitates quatuor. <sup>19</sup> Omnes simul civitates filiorum Aaron

sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis. <sup>20</sup> Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio. <sup>21</sup> De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer <sup>22</sup> et Cibsaim et Beth-horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

<sup>23</sup> De tribu quoque Dan, Eltheco et Gabathon, <sup>24</sup> et Ajalon et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

<sup>25</sup> Porro de dimidia tribu Manasse, Thanach et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ.

<sup>26</sup> Omnes civitates decem, et suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus. <sup>27</sup> Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan, et Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas. <sup>28</sup> Porro de tribu Issachar, Cesion, et Dabereth, <sup>29</sup> et Jaramoth, et Enganim, cum suburbanis suis, civitates quatuor. <sup>30</sup> De tribu autem Aser, Masal et Abdon, <sup>31</sup> et Helcath, et Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor. <sup>32</sup> De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilæa, et Hammoth Dor, et Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres. <sup>33</sup> Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis. <sup>34</sup> Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Jecnam, et Cartha <sup>35</sup> et Damna et Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis. <sup>36</sup> De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et Jaser et Jethson et Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis. <sup>37</sup> De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, et Manaim et Hesebon et Jazer, civitates quatuor cum suburbanis suis. <sup>38</sup> Omnes urbes filiorum Merari per familias et cognationes suas, duodecim. <sup>39</sup> Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israël fuerunt quadraginta octo <sup>40</sup> cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.

<sup>41</sup> Deditque Dominus Deus Israël omni terram, quam traditurum se patribus eorum juraverat : et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. <sup>42</sup> Dataque est ab eo pax

in omnes per circuitum nationes : nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. <sup>43</sup> Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

**Cap. 22** <sup>1</sup> Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse, <sup>2</sup> dixitque ad eos : Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini : mihi quoque in omnibus obedistis, <sup>3</sup> nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri. <sup>4</sup> Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem et pacem, sicut pollicitus est : revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem : <sup>5</sup> ita dumtaxat ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. <sup>6</sup> Benedixitque eis Josue, et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua. <sup>7</sup> Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan : et idcirco mediæ, quæ superfuit, dedit Josue sortem inter ceteros fratres suos trans Jordanem ad occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis, <sup>8</sup> dixit ad eos : In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento et auro, ære ac ferro, et veste multiplici : dividite prædam hostium cum fratribus vestris.

<sup>9</sup> Reversique sunt, et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israël de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi.

<sup>10</sup> Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ

magnitudinis. **11** Quod cum audissent filii Israël, et ad eos certi nuntii detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, altare in terra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra filios Israël : **12** convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, et dimicaret contra eos. **13** Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis, **14** et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus. **15** Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse in terram Galaad, dixeruntque ad eos : **16** Hæc mandat omnis populus Domini : Quæ est ista transgressio ? cur reliquistis Dominum Deum Israël, ædificantes altare sacrilegum, et a cultu illius recedentes ? **17** an parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet, multique de populo corruerunt ? **18** Et vos hodie reliquistis Dominum, et cras in universum Israël ira ejus desæviet. **19** Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos : tantum ut a Domino et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri. **20** Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israël ira ejus incubuit ? et ille erat unus homo, atque utinam solum periisset in scelere suo.

**21** Responderuntque filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israël : **22** Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et Israël simul intelliget : si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsentem : **23** et si ea mente fecimus ut holocausta, et sacrificium, et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet : **24** et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus : Cras dicent filii vestri filiis nostris : Quid vobis et Domino Deo Israël ? **25** terminum posuit Dominus inter nos et vos, o filii Ruben, et filii Gad, Jordanem fluvium, et idcirco partem non habetis in

**Domino : et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius, <sup>26</sup> et diximus : Exstruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, <sup>27</sup> sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris nostri sit offerre et holocausta, et victimas, et pacificas hostias : et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris : Non est vobis pars in Domino. <sup>28</sup> Quod si voluerint dicere, respondebunt eis : Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum. <sup>29</sup> Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus, exstructo altari ad holocausta, et sacrificia, et victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod exstructum est ante tabernaculum ejus.**

**<sup>30</sup> Quibus auditis, Phinees sacerdos, et principes legationis Israël, qui erant cum eo, placati sunt : et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt. <sup>31</sup> Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos : Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, et liberastis filios Israël de manu Domini. <sup>32</sup> Reversusque est cum principibus a filiis Ruben et Gad de terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israël, et retulit eis.**

**<sup>33</sup> Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israël, et nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, et delerent terram possessionis eorum. <sup>34</sup> Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad, altare quod exstruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.**

**Cap. 23 <sup>1</sup> Evoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israël, subjectis in gyro nationibus universis, et Josue jam longævo, et persenilis ætatis, <sup>2</sup> vocavit Josue omnem Israël, majoresque natu, et principes ac duces, et magistros, dixitque ad**



eos : Ego senui, et progressioris ætatis sum : <sup>3</sup> vosque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnaverit : <sup>4</sup> et nunc quia vobis sorte divisit omnem terram, ab orientali parte Jordanis usque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt nationes : <sup>5</sup> Dominus Deus vester disperdet eas et auferet a facie vestra, et possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est. <sup>6</sup> Tantum confortamini, et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi : et non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram : <sup>7</sup> ne postquam intraveritis ad gentes quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos : <sup>8</sup> sed adhæreatis Domino Deo vestro : quod fecistis usque in diem hanc. <sup>9</sup> Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit. <sup>10</sup> Unus e vobis persequetur hostium mille viros : quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. <sup>11</sup> Hoc tantum diligentissime præcavete : ut diligatis Dominum Deum vestrum. <sup>12</sup> Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare : <sup>13</sup> jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas delet ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. <sup>14</sup> En ego hodie ingredior viam universæ terræ, et toto animo cognoscetis quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. <sup>15</sup> Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt : sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, <sup>16</sup> eo quod præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis, ad adoraveritis eos :

cito atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

**Cap. 24** <sup>1</sup> Congregavitque Josue omnes tribus Israël in Sichem, et vocavit majores natu, ac principes, et judices, et magistros : steteruntque in conspectu Domini, <sup>2</sup> et ad populum sic locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israël : Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor : servieruntque diis alienis. <sup>3</sup> Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, et adduxi eum in terram Chanaan, multiplicavique semen ejus, <sup>4</sup> et dedi ei Isaac : illique rursum dedi Jacob et Esau. E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum : Jacob vero et filii ejus descenderunt in Ægyptum. <sup>5</sup> Misique Moysen et Aaron, et percussi Ægyptum multis signis atque portentis. <sup>6</sup> Eduxique vos et patres vestros de Ægypto, et venistis ad mare : persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus et equitatu, usque ad mare Rubrum. <sup>7</sup> Clamaverunt autem ad Dominum filii Israël : qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, et habitastis in solitudine multo tempore : <sup>8</sup> et introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, et possedistis terram eorum, atque interfecistis eos. <sup>9</sup> Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit contra Israëlem. Misique et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis : <sup>10</sup> et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu ejus. <sup>11</sup> Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus et Pherezæus, et Chananæus, et Hethæus, et Gergezæus, et Hevæus, et Jebusæus : et tradidi illos in manus vestras. <sup>12</sup> Misique ante vos crabrones : et ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo. <sup>13</sup> Dedique vobis terram, in qua non laborastis, et urbes quas non

ædificastis, ut habitaretis in eis : vineas, et oliveta, quæ non plantastis. **14** Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo : et auferte deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino. **15** Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur : eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis : utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis : ego autem et domus mea serviemus Domino.

**16** Responditque populus, et ait : Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis.

**17** Dominus Deus noster, ipse eduxit nos et patres nostros de terra Ægypti, de domo servitutis : fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via per quam ambulavimus, et in cunctis populis per quos transivimus. **18** Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster. **19** Dixitque Josue ad populum : Non poteritis servire Domino : Deus enim sanctus et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. **20** Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos atque subvertet, postquam vobis præstiterit bona. **21** Dixitque populus ad Josue : Nequaquam ita ut loqueris erit, sed Domino serviemus. **22** Et Josue ad populum : Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque : Testes. **23** Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël. **24** Dixitque populus ad Josue : Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis ejus.

**25** Percussit ergo Josue in die illo fædus, et proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. **26** Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini : et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter

quercum, quæ erat in sanctuario Domini : **27** et dixit ad omnem populum : En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis : ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro. **28** Dimisitque populum, singulos in possessionem suam.

**29** Et post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum : **30** sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ est sita in monte Ephraim, a septentrionali parte montis Gaas.

**31** Servivitque Israël Domino cunctis diebus Josue et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue, et qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israël.

**32** Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israël de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph. **33** Eleazar quoque filius Aaron mortuus est : et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.